



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,  
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et  
Ivrisdictione Ecclesiastica**

**Bene, Thomas del**

**Lugduni, 1674**

XLIX. An ingressus causa sit iusta in nobiles fœminis, quæ prætextu  
alicuius muneris necessarij in Monasterio exercendi ingrediuntur, cùm  
nihil, aut parum ingressæ facturæ sint, nec tale ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

## DVBITATIO XLVIII.

An ingressus causa sit iusta in famulabus secularibus, ut culinæ, & aliis Monasterij inferioribus officiis inseruiant?

## S V M M A R I V M.

- 1 Ingressus causa iusta est in famulabus secularibus, ut culinæ, & aliis Monasterij inferioribus officiis inseruiant, dummodo foras ea non exeant, si pro dictis inferioribus officiis in Monasterio professæ conuersæ non sint.
- 2 Moniales choro deputatæ, durissimum est, si grauentur inferioribus officiis.
- 3 Ingressus famularum iustus simpliciter non videtur, nisi concurrat necessitas Monasterij, vel ratio magna nobilitatis, ægræ valetudinis, aut nimia senectutis causam præbeat.
- 4 Defectus charitatis, aut malitia Monialium iusta est causa habendæ famulæ, si coddicio per superiores facta nihil profit, & hoc non solum in quasi extrema, sed etiam in graui, seu notabili necessitate.
- 5 Quæ requirantur pro ingressu licito ad Monasteria S. Claræ, & alia Monasteria, quæ strictiorem clausuram profitentur.
- 6 Famula prædictæ non possunt pro suo libito ingredi, & egredi, sed tenentur quodammodo legibus clausuræ Monialium.
- 7 Famula prædictæ ingredi non possunt in seruitium infirmarum, vel decrepitarum Monialium sine licentia Sedis Apostolicæ.

**R**espondetur, quod (quamvis Rodriguez *cir. quest. 46. art. 7.* affirmet simpliciter, excipiens tamen Monasteria sanctæ Claræ, & alia Monasteria, quæ strictiorem clausuram profitentur, nisi in certis casibus) tamen affirmandum sit, solum cum distinctione, scilicet licitum esse pro totius Monasterij (qualicumque obseruantia illud sit) utilitate, has (dummodo foras non exeant) ingredi, si pro dictis inferioribus officiis in Monasterio professæ Conuersæ non sint, secus si sint.

**P**rior pars probatur, quia non oportet, Moniales choro deputatas, à choro, & altioribus officiis ob hæc inferiora officia impediri; præsertim quia sæpe sunt illæ delicatæ, nec his officiis assuetæ: quapropter eas horum officiorum onere grauari durissimum est: & ita respondisse fertur Gregorius XIII.

**P**osterior pars patet; quia tunc nulla concurrat Monasterij necessitas: at pro priuatæ Monialis ministerio prædictarum famularum ingressus simpliciter iustus non videtur, nisi contra Suar. in loco *infra* citando, quando specialis ratio magnæ nobilitatis, aut ægræ valetudinis, aut nimie senectutis personæ causam præberet, & eius necessitati per Monasterij famulas, aut Conuersas sufficienter subueniri non posset, siue ex impotentia (ut concedit Rodriguez *art. 8.*) siue etiam ex defectu charitatis, aut malitia Monialium, contra Rodriguez *loco cit.* quia quamvis ex malitia id oriatur, si Superior non potest commodè eas cogere, vel si coactæ malè ministrant, iusta adhuc est habendæ famæ causa, non solum in quasi extrema (ut concedit Llamas in *append. §. 11. in fine.*) sed etiam in graui, seu notabili

necessitate, contra Llamas *loco cit.* Vide Nauarrum *comment. 4. num. 66. & 67. de Regularib.* Suarez *tom. 4. lib. 1. de Relig. cap. 10. num. 20. Zerolam part. 2. verb. Moniales, dubit. 5.* Cordubam in *addit. ad privileg. Mendicant. verb. Ingressus Monasterior. Monial.* Rodriguez *quest. 47. art. 4. & seq.* (ubi multa tradit de causis specialiter requisitis pro ingressu licito ad Monasteria S. Claræ, & alia Monasteria, quæ strictiorem clausuram profitentur) Barbosa *de iure Ecclesiastico, num. 61. & de offic. & potest. Episcop. part. 3. allegat. 102.* Peyrinum *tom. 1. privileg. Mon. in Corst. 6. Py V. num. 31.* Lezanam *verb. clausura, num. 34.* (qui referunt S. Congregationem declarasse in vna Abulensi, dictas famulas non posse pro suo libito ingredi, & egredi, sed teneri quodammodo legibus clausuræ Monialium) Mirandam in *tr. Et. de Monialib. quest. 2. art. 9.* Campanil. *rubr. 17. cap. 16. num. 28.* Bonacinam *de clausura, quest. 4. punct. 4. num. 10.* & Gauantum in *Man. Episc. verb. Monialium receptio, num. 14.* qui aiunt, cautè in hac re procedendum esse; quia S. Congregatio Episcoporum & Regularium declarasse fertur, non posse dictas famulas in seruitium infirmarum, vel decrepitarum Monialium introduci sine licentia Sedis Apostolicæ.

Ceterum, quantanam sit auctoritas S. Congregationis Cardinalium declarationum, sicut & decisionum Rotæ, styli Curia Romanæ, & similium? Dixi *cap. 14. dub. 5. sect. 2.*

## DVBITATIO XLIX.

An ingressus causa sit iusta in nobilibus fœminis, quæ prætextu alicuius muneris necessarii in Monasterio exercendi ingrediuntur; cum nihil, aut parum ingressæ facturæ sint, nec tale ministerium sit earum statui consonum?

## S V M M A R I V M.

- 1 Ingressus nobilium fœminarum prætextu alicuius muneris exercendi, quod reuera non exercent, dicitur esse in fraudem legis, præsertim si notabiliter ibi morentur.
- 2 Nobiles fœmina si reuera ad aliquod opus necessarium Monasterio ingrederentur, & in illo occupentur non minus quam fœmina viles ad illud opus exercendum alias ingressuræ, si statim moraliter finito opere egrediantur, non peccarent, data etiam curiositate.
- 3 Ingrediens in Monasterium ad exercendum aliquod opus necessarium ex causa vilis ministerij, si simul intentionem habeat turpiter loquendi, vel agendi cum Moniali, non peccat contra clausuram, sed solum ob prauum finem. Contra nonnullos virumque asserentes.

**R**espondetur negativè, quia id est in fraudem legis, præsertim si ingressæ notabiliter ibi de morentur, quod esse illicitum, dicitur *infra dub. 52.*

Quamvis (si reuera ad opus Monasterio necessarium, quod per Moniales commodè exerceri non potest, ingrederentur, & in illo occupentur, non minus quam occuparentur fœminæ viles ad illud opus exercendum alias ingressuræ, & statim moraliter, ut dicitur *cir. dub. 52.* finito opere, egrediantur) non peccarent, licet non ob hunc finem, sed ob curiositatem videndi Monasterium principaliter ingrederentur;

tur; quia reuera tunc ex causa necessaria, quam exequuntur, ingrediuntur: non possunt tamen tunc ingredi cum comitatu decenti, quia non instar nobilium, sed instar vilium sceminarum, seu famularum ingrediuntur.

3 Hinc sequitur, idem dicendum esse de illo, qui Monasterium ingreditur cum licentia Superioris ex causa vilis ministerij necessarii, sed simul intentionem habet turpiter loquendi, vel agendi cum Moniali; quia hæc praua intentio non tollit priorem ingrediendi causam, ob quam à Superiore ingrediendi licentiam obtinuit; quamvis ob prauum finem grauius peccet, & grauius poenis ob sacrilegij reatum, quem committit, plectendus sit. Vide Zerolam in *prax. p. 1. verb. Moniales, ad 8. quest. vers. ...* & Rodrig. *tom. 1. quest. 46. art. 3. notab. 2.* Etsi nonnulli non omnino improbabiler contrarium sentire videntur; forsitan ex eo, quia Superior in tali casu non præsumitur facultatem concessisse, quin neque concedere potuisset; sed quod dixi, est multo probabilius; quia hæc est conditionata Superioris voluntas, quæ nihil ponit in esse; & Ecclesia non iudicat de occultis.

## DVBITATIO L.

An ingressus causa sit iusta in superiore, qui electioni Abbatissæ præsit, & Monialium vota suscipiat?

### SVMMARIVM.

- 1 Superior non dicitur habere iustam causam ingrediendi clausuram ad præsidendum electioni Abbatissæ, & vota suscipienda.
- 2 Vota Monialium in electione Abbatissæ accipi possunt à superiore per fenestellam clausis Ecclesiæ ianuis.
- 3 Ingressus causa in electione Abbatissæ potest esse iusta, si opus sit sedare rixas, & altercationes Monialium, & tunc superior ingreditur comitatus iuxta motum Gregorij XIII.
- 4 Opinio Nauarri, & Rodriguez commendatur contra Azorium, & Llamam.

**R**espondetur, quod (licet Llamas in *Append. §. 7.* asserat; quia ante, & post electionem, & in ipsa electione debet Prælatus exhortari, & dirigere Moniales, ad quæ facienda ipsius ingressus necessarius esse videtur) negandum tamen sit; quia hæc fieri commodè possunt clausis Ecclesiæ ianuis per fenestellam, per quam aliæ exhortationes quotidie fieri solent; tum quia ita clarè decedit Trident. *sess. 25. cap. 7. in fin. de Regular. ibi: Non ingrediatur, sed per fenestellam suscipiat*; & quamvis Concilium non utatur verbis præceptum, sed consilium denotantibus, tamen satis clarè decedit, hanc non esse iustam, & necessariam ingressus causam: & cap. 6. eiusdem sessionis sub excommunicationis latæ pœna ingressum præterquam in casibus necessariis, interdixit: tum quia ita declarauit S. Congregatio apud Barbosam de iure *Ecclesiæ. n. 171.* & Tamburin. de iur. *Abb. disputat. 24. quest. 8.* & docent Nauar. & Rodrig. in locis infra citandis, & alij, quos citat, & sequitur Lezana *tom. 1. cap. 25. num. 25.* & verb. *clausura, numero 32.* Villalob. *tom. 2. tract. 35. diff. 46. num. 12.* Bonac. de *claus. q. 4. punct. 4. n. 7.* & Diana *part. 3. tract. 2. resol. 67.*

Non nego tamen, quod si in electione concurrant circumstantiæ (verbi gratia sit magna subornationis suspicio, vel magna Monialium reuolutio) ob quas hic, & nunc ingressus Prælati prudenter iudicetur necessarius, licitum sit, Prælatum ingredi comitatum ab aliquibus, iuxta Motum Gregorij XIII. quem afferebam *suprà dubit. 35.* quia non præsumitur Tridentinum in tali casu tantæ necessitatis ad bonum Monasterij commune, quod pendet ex bona Abbatissæ electione, ingressum denegare. Villalob. Bonacina, & Diana in locis *suprà cit.* Miranda de *Monialib. quest. 2. art. 15. concl. 3.* Barbosa de *offic. & potest. Episc. allegat. 102. num. 47.* & Lezana loco *suprà cit.*

Et in hoc sensu verum est, quod ait Nauar. *Comment. 4. num. 59. de Regularib. & Rodrig. tom. 1. q. 99. Regul. q. 46. art. 4. in fin. & art. 5. in princip.* licitum scilicet esse ingressum vocati ad bonam Abbatissæ electionem dirigendam, quamvis dissentiat Azor *tom. 1. lib. 13. cap. 8. q. 6. & Llamas §. 8. in fine.*

## DVBITATIO LI.

An ingressus causa sit iusta in Episcopo, ut alicui de Monasterio Confirmationis sacramentum administret? Vbi etiam de ingressu pro benedictione, vel Consecratione Monialis, vel pro alia causa simili.

### SVMMARIVM.

- 1 Episcopus non habet iustam causam ingrediendi clausuram ad confirmandam Monialem, nisi ea sit infirmitas, ita ut non possit ad crates accedere, & periculum sit in mora.
- 2 Monialis commodè potest confirmari per fenestellam, per quam Moniales Eucharistiam recipiunt.
- 3 Idem dicas de benedictione, vel consecratione Monialis, de dando habitu, aut professione Nouitiæ, & his similibus.
- 4 Matri, forori, vel aliis Consanguineis Monasterium ingredi non licet, ut Monialem visitent, aut illius professioni, vel morti assistant.
- 5 Capellano, vel Confessorio Monialium non licet ingredi clausuram in casu reuocationis sacramenti existentis in choro interiori, cum id fieri possit absque ingressu, & exponi per fenestellam in Ecclesiâ exteriori.

**R**espondetur negatiuè (nisi confirmanda sit infirmitas, ut non possit ad crates, vel fenestellam accedere; & periculum sit, quod absque tali sacramento moriatur (quia circa hunc casum potest id fieri commodè per fenestellam, per quam Moniales Eucharistiam recipiunt. Rodriguez *cit. tom. 1. quest. 47. art. 10.* & Llamas *cit. §. 8. in princ.* Idem dicas in casu de benedictione, vel consecratione Monialis, vel de dando habitu, aut professione Nouitiæ, vel de dando velo solenniter professæ, vel de examinando Moniales; aut quascumque alias in Monasterio legitime morantes, idque propter eandem rationem dictam. Rodrig. & Llamas locis *suprà cit.* & declarauit S. Congregatio apud Barbosam de iure *Ecclesiastico num. 171.* & apud Tamburinum de iure *Abb. disp. 24. quest. 8.* Vide etiam *dubit. 41.* ubi probabam neque licere matri, forori, vel aliis consanguineis Monasterium ingredi;